



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæst. LVIII. Vtrum Eucharistia sit sacramentum corporis & sanguinis
Christi, sub specie panis & vini,, cum vi conferendi augmentum gratiæ,
vbertatem auxiliorum actualium, & feruorem charitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

munis Theologorum opinio; atque ritus adhiberi soliti in collatione huius Sacramenti, sunt quid accidentale respectu ipsius. Inconuenienter igitur obligat Ecclesia sub præcepto, ad superaddendos ritus eiusmodi accidentales.

Respondetur plures ritus accidentales respectu huius Sacramenti obseruantur in eius administratione, qui videri possunt in Pontificali Romano; circa honestatem, conuenientiam, & laudabilem obseruantiam eorum, nihil superaddere necesse est in præsentia: vltra ea, quæ dicta sunt tum in communi, tum in particulari circa Baptismum, q. 36. 44. & 49. Tria specialiter expedierit obseruare. Primum est in administratione huius Sacramenti debere adhiberi Patrinum, qui confirmatum teneat, dum confirmatur, eundemque, deinde erudiat ad pugnam spiritualem. Quod optimè institutum esse, optima ratione commonstrat D. Thomas quæst. 72. art. 10. Quia videlicet in bellis temporalibus constituuntur Duces, & Centuriones, per quos alij dirigantur, atque à veteranis instruuntur tyrones. Bellum autem spirituale est multo difficilius, atque inimici, contra quos pugnandum est, sunt fortiores, ac fraudulentiores, & industria pugnandi sunt occultiores, multo igitur magis conueniens, ac necessarium est, vt cum quis assumitur ad hanc pugnam, assignetur ipsi Pædagogus, seu Patrinus, à quo in signum suæ imposterum mantentionis, protectionis, ac directionis teneatur confirmatus, dum confirmatur, etiam si prope ætatis sit, quatenus nihilominus est iunior. & tyro, quoad militiam spiritualem. Fungi vero potest hoc munere, quilibet vtriusvis sexus, dummodo sit bene instructus, quoad ea quæ pertinent ad militiam spiritualem, quia in Christo Iesu non masculus, & femina, vt dicitur ad Galat. 3. 28. quæ de cognatione spirituali, aliisque nonnullis dicta sunt quæstione illa 44. circa Patrinum Baptismi, eadem, hic etiam locum habent, nisi quod Patrinus Confirmationis debet esse vnus, vel vna tantum, & rarius tenetur ad instruendum confirmatum. Secundum est, quod Episcopus leuiter alapa percutit confirmatum, tum vt melius meminerit huius Sacramenti à se suscepti, magisque vitetur periculum iterationis, quæ est sacrilega, vt dictum est; tum maxime, vt moneatur confirmatus debere se fortiter tolerare iniurias, omnesque difficultates, quæ occurrere possunt in militia Christiana. Tertium est vitta linea circumligari debere caput confirmati, ne statim vnctio dissuatur. Vnde ea gestari debet, donec exsiccetur chrisma, nisi, vt moris alicubi est, frons confirmati abluatur in fonte baptismatis paulo post Confirmationem. Circa hæc, & talia eiusmodi videri plura possunt, si placet apud Soto dist. 7. art. 12. & apud Suarez disp. 37.

Ad 1. Ritus accidentales Sacramentorum, non ad hoc solum adhibentur, vt per illos manifestetur magis suscipienti natura, finis, & effectus Sacramenti, sed etiam & multo magis, vt Sacramentum & decenter, & ac reuerenter perficiatur, & suscipiatur maiori cum deuotione, & sensu pietatis disponente ad vberiores fructum percipiendum ex eodem Sacramento: Indidem præterea fit vt notitia præhabita de natura, & sublimitate Sacramenti, promoueat, aliusque imprimatur animo, per significationem mysticam sacrorum rituum, quo etiam adminiculo indiget confirmatus tanquam tyro.

Ad 2. Plura sunt, quorum faciendorum nulla est obligatio absolutæ, quæ tamen, si fiant, necesse est, vt fiant determinato quodam modo, iuxta naturam eorum, vt apparet inter alia in sacrificio Missæ. Vnde licet nulla sit obligatio, saltem grauis suscipiendi hoc Sacramentum, possitque omitti absque peccato, saltem graui, dummodo id fiat absque contemptu explicito, vel implicito Sacramenti, & absque aliorum scandalo,

vt fert communior Theologorum sententia; quatenus nemo tenetur sub peccato ex natura rei ad augmentum gratiæ, & auxiliorum, quod solum dictum est, haberi posse vi huius Sacramenti; nullumque reperitur præceptum, aut Diuinum, aut humanum, saltem, quod grauius obliget ad illud aliquando suscipiendum. Quamquam, inquam, hoc verum sit, verum tamen nequaquam est ex suppositione, quod suscipiatur hoc Sacramentum non debere suscipi modo decenti, qui conuenienter præscribitur ab Ecclesia, tametsi ad pleraque eorum, quæ præscribit, obliget tantum sub veniali, & nonnulla pertineant ad solum consilium, solamque maiorem perfectionem, tum ex parte ministri, tum ex parte suscipientis.



INCIPIUNT QUÆSTIONES de Venerabili Eucharistia Sacramento.

QUÆSTIO LVIII.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub specie panis, & vini, cum vi conferendi augmentum gratiæ, vbertatem auxiliorum actualium, & feruorem charitatis?

VIDE TUR, istam definitionem non esse bonam. 1. Quia hoc Sacramentum non distinguitur corpore, & sanguine Christi Sacramentum, autem distinguitur ab eo, cuius est Sacramentum, quia est signum, practicum eius: id est, est signum, & causa eius vt liquet ex quæstione 1. atque signum distinguitur ab ea re, cuius est signum, vt dicit Augustinus cap. 1. de Mag. & similiter causa distinguitur à suo effectu. Ergo non rectè dicitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

2. Corpus Christi sub specie panis, & sanguis eius sub specie vini sunt duo Sacramenta. Quia variis seorsim sumpto, conuenit tota definitio Sacramenti. Deinde communio sub altera tantum specie, est vera veri Sacramenti, & non tantum partis Sacramenti susceptio. Præterea Ecclesia in quadam sua oratione dicit de corpore, & sanguine Christi: *Purificent nos quasumus Sacramenta, quæ sumpsimus.* Demum hoc eodem pluraliter loquendi modo vtuntur sæpè concilia, & PP. de corpore, & sanguine Christi, sub speciebus panis, & vini. Ergo non rectè dicitur in singulari Sacramentum corporis, & sanguinis Christi.

3. Communiter distinguunt Theologi Eucharistiam à reliquis Sacramentis, quia Eucharistia confert gratiam per modum cibi, & refectionis spiritualis, atque augmentum gratiæ quatenus augmentum est formaliter, vt contendit specialiter Cardinalis de Lugo: reliqua verò Sacramenta materialiter, quatenus augmentum est, & formaliter, quatenus deferunt ad certas quasdam operationes. Ergo illud potius ponendum erat in definitione, quàm vbertas auxiliorum actualium, & feruor charitatis.

4. Bona definitio debet explicare naturam rei, prout subest eius nomini. Istud autem Sacramentum habet multiplex nomen, quia à Concil. Nic. 1. Can. 12. & à Carthagin. 4. Can. 77. & 78. & ab alijs dicitur Viaticum. Ab August. 3. de Trinit. Cap. 4. Sacramentum corporis, & sanguinis Domini; à Chryl. Homil. 1. de Cœna Domini, & ab alijs cum Apost. 1. Cor. 11.

COR. 11. 20. Cœna Domini; & communissimè dicitur communio atque synaxis. Quarum vocum significata formalia nullatenus exponit definitio proposita.

Art. 1. Respondetur. Eucharistiam esse vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis constat ex quæst. 34. Idque fuisse institutum à Christo Domino in Cœna, colligitur ex Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioan. 9. 6. & 1. ad Corinth. 11. vti inferius expendetur opportunè. Vnde ratio Sacramenti merito præferatur loco generis; id est ratio signi symbolici, practici, à Deo pro hominibus instituti. Ratio differentialis est triplex.

Art. 2. Prima differentia est ex parte puri signi significantis, & non significati, quod conuenit verbis & speciebus panis, ac vini. Exprimuntur verò solæ species, quia ipsæ, & non verba importantur in recto per istud Sacramentum, vt dictum est supra q. 8. Secunda differentia est ex parte signi significantis simul, & significati, quod conuenit Corpori, & Sanguinis Christi: & significatis per verba, & species, simulque consignificantibus effectus gratiæ. Quæ de causa corpus, & sanguis Christi res Sacramenti, & simul Sacramentum dici solent. Tertia differentia est quoad virtutem actiuam in ordine ad effectum extrinsecum, purè significatum, qui in hoc Sacramento est augmentum gratiæ non qualecunque, sed coniunctum cum abundantia vniuersali auxiliorum actualium, ad omnes operationes proprias vitæ spiritualis: & non tantum ad aliquam determinatam speciem ipsarum, vt euenit in reliquis Sacramentis, iuxta finem cuiusque particularem; & insuper cum feruore charitatis, qui est effectus specialissimus huius Sacramenti. In his porro duobus virtualiter continetur, tanquam in causa, præseruatio à peccatis, quæ propterea non exprimitur seorsim, licet sit effectus non minus proprius huius Sacramenti, vt dicitur, quæst. 69.

Art. 3. Constat igitur definitio proposita genere, communi aliis Sacramenti, & multiplici differentia ab iisdem; & præterea à Sacramentis possibilibus institui in speciebus panis, & vini absque corpore & sanguine Christi; vel cum corpore, & sanguine Christi sub aliis speciebus, vel cum vtrisque, in ordine tamen ad alios effectus; adeoque est definitio bona, & adæquata, nec redundans.

Ad 1. August. in illo eodem lib. cap. 4. tradit quædam esse signa signorum; quæ proinde distinguuntur à signo sui non tamen ab omni signo. Ita species panis, & vini significant corpus, & sanguinem Christi; & rursus, cum ipsis Christi corpore, & sanguine, significant effectus gratiæ. Quare corpus, & sanguis Christi, distinguuntur quidem à Sacramento inadæquate sumpto, nempe à speciebus, quæ sunt purum signum, non tamen à toto Sacramento Eucharistiæ; cuius ea pars est signum, & significatum; causa, & effectus simul, vt dictum est.

Art. 1. Ad 2. Vnum dicitur, vt docet D. Thom. q. 73. art. 2. ex Philosopho 5. Metaphysic. text. 9. non solum quod est indiuisibile, vel continuum; sed etiam quod est perfectum. Istud autem Sacramentum exhibetur ad modum conuiuij, ad cuius perfectionem spectant eibus, & potus. Vnde vtraque species cum eo simul, quod vnaquæque continet sub se, constituit vnum Sacramentum secundum speciem infimam: vnitatem formali, & perfectionis; licet sit multiplex materialiter, secundum species panis, & vini, & secundum verba circa ipsas. Idem porro dicitur de definitione, atque dictum est de definito.

Art. 2. Iam qui communicat sub vna specie tantum, suscipit partem Sacramenti aptitudinaliter, & in potentia, licet accipiat Sacramentum, sed actualiter non est pars, sed totum; idque perfectum perfectione continentiæ Christi, & virtutis sanctificandi,

quia totus Christus subest vtrilibet speciei, & vtrilibet confert gratiam se sola, vt infra dicitur; esto non sit omnino perfectum perfectione Symbolicæ significationis, seu secundum rationem formalem Sacramenti.

Art. 3. Demum locutio in plurali habet sufficiens fundamentum in pluralitate materiali specierum & verborum valentium existere, & operari seorsim sicut habet fundamentum locutio in singulari, iuxta dicta, quæ est frequentior, & quæ etiam vtitur Ecclesia, dum dicit: *Hoc vnum Sacramentum non sit nobis reatus ad penam*; & Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. & alibi sæpè. Ex quibus concluditur cum D. Thom. loco cit. ad 1. *Hoc Sacramentum esse quodammodo multum, simpliciter autem vnum*. Quod ipsum dicunt Suarez; Vasquez; & alij communiter.

Art. 1. Ad 3. Particula *per modum cibi, & refectiouis* explicat magis rationem symboli, quam symbolizati, & symbolizatum ipsum significat ad modum alterius, & vt subest symbolo; id est explicat potius, obscure, vt latet sub velamine, quam distinctè, vt est in se. Theologi autem munus est exponere distinctè, & detecto velamine, quoad fieri potest, quidditatem rei, vt est in se; idque præstat definitio data, vt apparebit clarius, quæst. 89.

Art. 2. Quod suggeritur de augmento gratiæ formaliter, vel materialiter collato, dicitur pro libito, & est falsum. Quia in quouis Sacramento conferente augmentum gratiæ, is effectus est præcipuus inter alios, ideoque intentus, & collatus formaliter vt talis est, siue vt augmentatiuus est, Deus enim semper, ac necessarîo intendit magis meliora quæque qua meliora sunt, vt dictum est, quæst. 25. de Deo.

Ad 4. Omnia ea nomina significant eandem rem relatiue ad diuersos effectus, diuersaque connotata, vt liquet ex communi eorum expositione in præfati, præsertim apud Valent. disp. 6. q. 1. punct. 1. Confici proinde possunt totidem huius Sacramenti definitiones similiter inter se diuersæ. Verum quia in idem omnes reciderent, delecta potissimum est quæ correspondet nomini communiori, ac celebriori, & quod magis congruit substantiæ mysterij secundum se.

QVÆSTIO LIX.

Virum panis triticeus, & vinum de vite sint materia remota huius Sacramenti?

Videtur non esse. 1. Quia materia huius Sacramenti est res maximè idonea ad significandam passionem Christi, eiusdemque corpus, & sanguinem. Ad istam autem significationem sunt magis idoneæ, caro, & sanguis animalium, quæ erant materia veterum Sacramentorum, minus vtiq; perfectorum, quam sit Eucharistiæ. Ergo ea caro, & sanguis, & non panis, & vinum sunt materia huius Sacramenti.

2. Istud Sacramentum institutum est pro toto genere humano, vtque celebretur vbique gentium. Ergo materia eius est res, quæ vbique gentium reperitur. Panis autem triticeus deest in multis Prouinciis, & vinum de vite in non paucis.

3. Non est de substantia Sacramenti, quod verba sint eius determinatè idiomatis, quo vsus est Christus Dominus, quodque erat proprium eius regionis, & æquivalentia sufficiunt. Ergo nec est de substantia, quod panis sit triticeus, & vinum sit de vite, licet ea adhibuerit Christus Dominus, quia erant communia, & vulgaria, vbi ipse tunc degebat; sed sufficiunt, pro vnaquaque regione, ea quorum est vulgaris vsus loco eius panis, & vini.